



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nucleus Juris Canonici

Thenhaven, Bernhard

Coloniæ Agrippinæ, 1739

V. De Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi. D. 5. C. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63382](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63382)

corporationis spectant ad Monasterium, cum ea tamen obligatione, ut Vicario congruam assignet portionem ad honestam sustentationem arbitrio Episcopi determinandam, ex *Trident. sess. 7. de Ref. c. 7.* & quamvis factâ tali determinatione non possit propriâ auctoritate sine consensu Episcopi eam imminuere; reliquos tamen fructus ad se de jure pertinentes, pro variatione circumstantiarum, pro majori vel minori pensione annua concedere potest, quia sic temporale exigit pro temporali, quod simoniacum non est.

TITULUS V.

De Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

I. C. I. & 4. h. t. statuitur: „ Ut per unam
 „ quamque Cathedralem Ecclesiam
 „ Magistro, qui Clericos ejusdem Eccle-
 „ siæ & Scholares pauperes in Gramma-
 „ tica & Sacra Pagina gratis doceat, com-
 „ petens aliquod Beneficium præbeatur,
 „ quo docentis necessitas sublevetur, &
 „ discentibus via pateat ad doctrinam.
 Quod confirmat *Trid. sess. 5. de Ref. c. 1.*
 & *sess. 23. c. 18.* Et licet hæ Scholæ in Ec-
 clesiis hodie ob institutas Universitates
 vel

DE MAGISTRIS, ET NE ALIQUID EXIGATUR &c. 569
vel Gymnasia desiêrint, in iis tamen re-
manserunt Præbendæ Magistrales, dictæ
Scholasteriæ, eâsque obtinens dicitur
Scholasticus.

2. C. 2. h. t. prohibet Pontifex: „ Ne pro
„ licentia docendi ab aliquo aliquid exi-
„ gatur vel promittatur. Si quid fuerit
„ solutum vel promissum, promissum
„ remitti, solutum vult restitui. Et C. 3.
„ Sub anathematis interminatione vult
„ provideri, ne ab aliquo pro præstanda
„ licentia docendi aliquid exigatur; sed ut
„ quicumque viri idonei & literati volunt
„ regere studia literarum, eos sine mo-
„ lestia & exactiōe qualicunque Scholas
„ regere patiantur. Ratio, quia quamvis
pro nuda licentia docendi Theologiam,
quæ est scientia naturalis, aliquid exigere
non sit propriè simonia; (sicut si exige-
retur pro Catechesi aut Concione, quæ
per se ordinantur ad finem supernatu-
ralem) cùm actus docendi non sit res
sacra, nec actus potestatis spiritualis,
illud tamen tanquam illicitum & in-
justum hîc prohibetur, eò quòd redundet
in gravamen tum docentium, quos decet
potiùs precibus & muneribus ad docen-
dum invitari; tum discientium, à qui-
bus ideo majus stipendium seu miner-
val docentes exigent; ac tali modo

sæpe minùs idonei & minùs literati sibi viam ad temporales Professorum honores pararent, neglectis dignioribus. *Nec obstat*, quòd in Academiis liceat exigere pretium pro Gradibus Baccalaureatùs, Magisteriatùs & Doctoratùs. *Nam* id non exigitur pro licentia docendi; sed pro honoribus & emolumentis temporalibus, quibus tales Graduati per publicum testimonium approbationis ad officium docendi perfruuntur, quæ sunt pretio æstimabilia; neque pro his gradibus pretium exigere reperitur prohibitum. Vide *Nuch. Theol. Exam. 17. n. 4. §. Econtra.*

TITULUS VI.

De Judæis & Saracenis, & eorum Servis.

I. Per JUDÆOS intelliguntur, qui Legem Moysis profitentur; per SARACENOS sic dictos à Sara uxore Abrahamæ, (potius ab Agar & Ismaële, à quibus descendunt, dicendi Agareni) qui Sectæ Mahumetis adhærent, cujuscunque sint Nationis, sive Turcæ, qui Alcoranum juxta Expositionem *Omar*; sive Persæ, qui eundem acceptant juxta interpretationem *Aly*, discipulorum Mahumetis inter se prorsus discrepantium, ut ea propter Tur-